

Letter 347: [End of February 1528], Strasbourg, Capito to Guillaume Farel

Printed in Herminjard 2, pp. 109-10, Ep. 221.

Gratiam et pacem. Fratrem hunc simplicem, sed amantem Christi, nuper excepi hospicio, quem convictu octo aut decem dierum exploratum de sacramento monachismi exautoravi, autoritate sacrosanctae Sedis Romanae fultus, qua fungor in hac parte, ut scis. Nam erat qui, accepto precio, cucullam cinericeam nigrore inficeret, et sarctor qui nobis Gallicum sacerdotem protinus reddidit; sic enim nobis apparet, est in toga eius tuae similima. Praeterea contubernalem habeo, qui tonsoris partibus perfunctus est, et, raso capite, nobis militem ex monacho praestitit: verticem enim attonsum puto militiae notam.

Exiguo itaque viatico instructum ad te, mi Farelle, ut serio loquar, propterea abmandavi, quod Gallus est lingua, moribus non impiis, animo ad quemvis laborem subeundum paratus, nisi me, ut saepe fit, coniecturae fallunt. Praeterea, non inidoneus evangelio Christi praedicando, quo mihi videatur serio Christianus. Tu fac, ut alicubi istius viciniae victum opificio aliquo quaeritet, aut si commode nescis, iube ut Sabaudis se inserat. Scribe, queso, saepius, etsi nihil scribendum, quidnam Dominus tecum et cum hoc fratre designarit.

Fama est Gallum mortuum, quod Hispano foecundum argumentum erit durioris tragediae. Sed haec quid ad nos? De Hosea mitto quantum impressum est; reliqua propediem es habiturus. Inscribam Reginae Navarrae, nam Cornelio promiseram. Bucerus Ioan[nem] aedit, sed vereor ne perfidia impressoris meus labor ad nundinas non absolvatur. Vale, charissime frater, et ora Dominum pro me; mutuam facies. Argen[tinae].

Capito tuus.